DE

ICTERO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV. MENS. NOVEMBRIS A. MDCCCXXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
EVALDUS SCHOEN
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

J. KRAUTWURST, MED. ET CHIR. DD.
A. ADAMCRYK, MED. ET CHIR. CAND.
A. HEIMBROD, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

MANIBUS PARENTUM

PIO GRATOQUE ANIMO

FILIUS.

MORBI DENOMINATIO ET DEFINITIO.

§. 1.

Icterus (1), vel ileus icterodes (2), vel morbus regius (3), vel arcuatus (4), vel aurigo (5), vel suffusio bilis (6), vel cachexia icterica (7) est morbus vel potius diversorum morborum symptoma (8), quod in depositis materiis biliosis sub cute aliisque in corporis partibus constat.

---

(1) Ab ἴκτος, animal e viverrarum genere cum oculis flavis, vel avis flava (Romanorum galbula), cujus adspectu icterici sanari, avis vero mori dicebantur.

Conf. Plin. hist. nat. Litt. XXX. Cap. II.

(2) Hippocr. de intern. affect. Edit. Foesii. p 566.

(3) Quia secundum Plinium aulici eo plerumque laborant, aut quia, ut Celsus ait, ad eum sanandum regii requiruntur sumtus.

(4) Arcus coelestis enim, sive iridis colorem refert. Celsus de med. lib. III. c. 24. Caelius Aurelian. de morb. chron. lib. III. cap. V.

(5) Quod auri colorem refert.

(6) Van Swieten, comment. in H. Boerhavii Aphorismos. L. B. 1772. P. III. p. 95.

(7) Frd. Hoffmann, Med. rat. et system. Halae 1718. 4.

(8) William Stockes. Ueber die Heilung der innern Krankheiten. Deutsch von Dr. F. J. Behrend. Leipzig 1835. p. 84.

PHAENOMENA GENERALIA.

§. 2.

Praeeuntibus aut variis aut quandoque nullis omnino digestionis laesae symptomatibus, vel repente, vel gradatim, cutis colore laete flavo tingi incipit (qui posterius demum e flavo viridat, rarius paulisper nigrescit), primum in albuginea oculi, circa angulos oris alasque nasi, dein ad tempora, collum, cervicem partesque epidermide teneriori obtectas, donec sensim sensimque super totum corpus suffunditur.

Secreta et excreta bilis colore tincta apparent: lacrymae, saliva, sputum, lac (1), sudor, mucus e vagina destillans, urina. Haec sub molesto urethrae sensu emissa profunde flava, brunnea, viride spumans, papyrum et

---

(1) Etsi Stockes l. c. p. 87. ait: „Merkwürdig ist es, dass man nie eine Färbung der Milch beobachtet, und es scheint, dass die Natur den Säugling gegen alle aus einer mit Galle vermischten Milch entstehenden Nachtheile habe schützen wollen. Petrus Frank, der 1742 eine Gelbsuchtepidemie in Gent und 1754 in Mainz beobachtete, versichert, dass er nie die Milch mit Galle vermischt gesehen habe;"— tamen Petrus Frank. De cur. hom. morb. Epit. Lib. VI. P. II. p. 321 haec scribit: „Lac nutricis ictericae, non minus quam humorem mucosum ejusdem e vagina destillantem flavuisse conspeximus. Lac nutricis viridescens, viri quidam celebres et, post animi excandescentiam, lac matris, non modo e flavo subviridum, sed simul amarum fuisse, adnotarunt alii." Et l. c. p. 337: "Principia, bilis characterem specificum tinctorium constituentia, sui vestigia cuivis mox corporis parti, tam solidae quam fluidae, quod morbus alter, quam icterus, non potest, tenaciter imprimunt ita: ut nutricis ictericae lacte, quod non minus flavedine tinctum conspeximus, nutriri, infantes, etiam tenerrimi, qui tamen organo gustus adhuc satis obtuso instructi sunt, non sine horrore recusent."

lintea immersa colore croceo imbuit, sedimenta deponit furfuracea saepe, lateritia; vasa, in quibus aliquamdiu collecta erat, pinguedine obducit flava, difficile abstergenda; et acido muriatico aut nitrico admixtis, colorem viridem (bilis pigmentum) ostendit.

§. 3.

Accedit pruritus in cute, inprimis nocte, ad desperationem usque intolerabilis, saepius etiam fallacia visus ita, ut aegrotis omnia appareant flava; quod symptoma Haase (1) et alii effectum humoris aquei tincti habent, dum Petrus Frank (2), si constans sit, ac icterus ipse ea ratione locum habere permittit, saepe a lusu haud satis intellecto nervorum oriri, vult; Stockes (3) deinde semper id pro abnormi nervorum actione, periculoso forsan symptomate irritationis cerebralis, habet.

Stipatur dein icterus digestione laesa, appetentia languida, ciborum aversatione, nausea, ructu, siugultu, vomituritione, licet lingua (4) saepe pura etsi nonnunquam quasi atramento oblita apparet; occurrunt dolores ad regionem epigastricam extensi, praecordiorum anxietates, hypochondriorum spasmi, dolores colici, alvus tarda, dura, arida, grisea, quasi argillacea.

Pulsus vulgo tangitur tardus, saepe inflammatorius, ubi jam ab initio morbi queruntur aegroti de inertia virium, tristitia, morositate, horroribus alternantibus cum

---

(1) Ueber die Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten. Leipzig 1820. III. B. 1. Abth. p. 109.

(2) l. c. p. 341.

(3) l. c. p. 89.

(4) Pet. Frank l. c. p. 322.

caloribus, noctibus inquietis, donec febris manifesta prodit.

MORBI DECURSUS ET EXITUS.

§. 4.

Abit icterus, postquam pro variis causis, quibus adducebatur, brevius vel diutius manserat, aut

I. In sanitatem, et quidem aut per lysin, ubi sensim sensimque recedit flavus cutis color, excrementa redduntur magis fusca, largiora, urina clarescens, et digestio restituitur in integrum; aut per crisin, tam universam quam topicam, miliaria, herpete, haemorrhoidibus, epistaxi, salivatione (1); sudore, urina sedimentosa, excrementis largis, biliosis, saepe calculos felleos continentibus. Aut mutatur

II. In alios morbos; evanescit quidem color flavus, aeger vero semper semperque laborat digestione laesa, doloribus in regione epigastrica, pyrosi, flatubus, alvo inordinata; vel augentur omnia symptomata, color cutis orichalci fit similis, facies lurida, collapsa, oritur laxitas musculorum, digestio in dies magis languescit, febris hectica accedit, totum corpus tabescit, hydropice intumescit, vel febri superveniente, symptomata existunt nervosa, deliria, hallucinationes, sopor, coma et sic

III. Mors denique ex cerebri paralysi, aut febri hectica consequitur.

CADAVERUM SECTIO.

§. 5.

Cadavera flava conspiciuntur, magis flexibilia (2),

(1) Haase l. c. p. 192.
(2) Pet. Frank l. c. p. 322.

ossa (1) flavedine intensa saepenumero tincta, sicuti cartilagines, tela cellulosa, adeps (2), dentes excepta materie vitrea, humores oculorum, dura mater, pia mater, arachnoidea; cerebrum vero non item (3), sed nonnunquam in eo, uti in cavo pectoris, et maxime abdominis, serum flavum effusum continetur. Videmus crocei coloris pleuram, pericardium, peritonaeum, viscera; inflammatum ventriculum et duodenum; hepar amplitudine aut auctum, aut minutum, vel durum, firmum, brunneum, vel tumidum, squamosum, molle, laete rubrum, sanguine venoso inundatum, abscessuum plenum, exulceratum, gangraenosum, scirrhosum, tuberculosum; ductus biliferos modo extensos modo obturatos, calculis, vermibus, muco refertos, partium adjacentium tumoribus compressos; cystidem felleam aut contractam, nullam bilem continentem, mucum tantum album tenacem, sanguine aut bili striatum, aut impletam bili opaca, tenaci, calculis felleis; animadvertimus porro mesenterii venas, venam cavam amplificatas, sanguine plenas, membranas intestinorum villosas ex rubro subnigras, pancreas purpureum vel plumbeum colorem referens, scirrhosum, fungosum; lienem aut amplificatum aut minutum, durum aut mollem.

Saepenumero vero fit, ut praeter colorem luteum omnia tingentem nil in cadaveribus reperiatur, quod a norma deflexerit.

---

(1) Max. Stoll. Ratio medendi P. II. Test. V. Obs. VII.
(2) Störk, Ann. med. I. 150.
(3) Schönlein, Allg. u. spez. Path. und Ther. St. Gallen und Leipzig. 1839. III. p. 203.

CAUSSAE.

§. 6.

Flavum colorem ictericum, qui prae reliquis pathognomonicum morbi signum efficit, materierum biliosarum depositione in cutem omnesque corporis telas et secreta contineri, omnes fere medici scriptores concordant. Sed cum ulterius perscruteris, qua ratione viaque materiae illae biliosae e locis sibi destinatis in alias transeant corporis partes, magnam invenies opinionum diversitatem. Quarum praecipuas hic breviter perstringam et dein, quo modo cum novissimis congruant physiologiae incrementis, perscrutabor.

§. 7.

Video auctores, qui huc referendi sunt, in duas potissimum abiisse partes, quarum una bilis impeditam secretionem, altera hujus jam secretae excretionem impeditam causam icteri insimulant. A priore quidem parte stat Galenus, qui sanguini bilem ita inesse opinatus est, ut ope fermenti ex. gr. animi effectus vel quorundam animalium morsu ex mero sanguine, omisso hepate, bilis fiat. Similem sententiam habuere Aretaeus, Pechlinus etc., qui, secretione bilis in hepate cohibita, bilem ex sanguine, qui partes ejus constituentes contineat, citra actionem hepatis rebus externis, vehementer subigentibus organismum, in cutem traduci, censuerunt. — Bilem, secretione ejus prohibita, in summa sanguinis coacervatam unicam esse icteri causam, bilemque in hepate jamjam secretam nil omnino ad icterum facere, existimavit Joa. Theoph. Bergen (1). Huc pertinet

(1) Dissertatio de icteri causa ficta, bile. Francof. 1710.

opinio etiam Sprengelii (1), qui, si bilis secretio in hepate ex toto praepediatur, aut secretionem vicariam hujus fluidi in vasis cutaneis, et sic icterum oriri, aut e sola materierum biliosarum in sanguine abundantia colorem superficiei luteum existere, contendit. Sequuntur hunc de Hoven (2) et Henke (3). Nominandus denique est Schönlein (4), qui pariter bilis secretionem vicariam per cutem solam habet icteri causam.

§. 8.

Bianchi (5) duas icteri species statuit, quarum unam oriri dixit, dum obstructis vasis biliferis particulae biliosae in sanguine remorentur; alteram vero obstructionem ductuum bilem secretam in intestina efferentium consequi, dum sic bilis denuo sanguini reddatur. Favent huic quidem sententiae van Swieten, Morgagni et Brünning (6), qui bilis secretae in sanguinem transmissionem icterum efficere eumque tum etiam oriri dicit, cum hepate aegrotante, oleosae et salinae particulae bilis ibi residentes sanguinem solvant et mutent.

Liceat denique afferre, quae Haase (7) de morbi regii ortu proposuit. Quem nasci dicit, ex impedito sanguinis venae portarum carbonisati, principiis biliosis

---

(1) Kurt Sprengels Handbuch der Pathol. Leipzig 1797 III. Bd. §. 677.

(2) L. c. III. p. 194. sqq.

(3) Handbuch der prakt. Heilkunde. Heilbronn 1805. II. B. p. 290.

(4) Spez. Pathologie. 2. Thl. §. 1367.

(5) Historia hepat. s. theoret. et. pract. omnium morbor. hep. et bilis. Taurin. 1710.

(6) Tractatus de Ictero infantum. Essendiae 1773. 8.

(7) l. c. 198.

impleti ad hepar accessu, accumulatis ita in sanguine bilis materiebus, quarum pigmentum sero impertiat colorem luteum, qui in visceribus, cartilaginibus, ossibus, praecipue autem in cute phaenomena icterica sistat; alteram viam, qua auriginis ortus possit explicari, obturationem ductuum biliferorum esse proponit. Secretio bilis hoc in casu non, ut in priori, est sublata, sed tantummodo ejus effusio impedita; fel in ductibus hepaticis et cystide fellea accumulatur, pars ejus resorpta cumque humoribus commixta phaenomena icterica inducit, pars residua, eaque tenacior, concrementis calculisque biliariis ansam praebet.

Ultima, quam hic afferre volo, sententia est Hartmanni (1), qui, si bilis legitime in hepate secreta, clauso ductu choledocho in intestinum duodenum venire nequeat, elementa ejus, a vasis lymphaticis resorpta, aliisque organis secernentibus adducta icterum efficere, dicit; si vero bilis secretio sit suppressa, quod et impedita hepatis actuositate et inopia elementorum bilis in sanguine fieri possit, nulla hic icterica symptomata advertenda, illic vero materiebus biliosis sanguinem inundantibus iisque ad alia organa secretoria depositis, icterum manifestum exstiturum esse, confirmat.

§. 9.

Venimus ad eos, qui a bilis jam secretae excretione impedita, ejusque elementis sanguini immixtis, icteri originem unam solamque petunt! sed de ea, qua hoc fiat, ratione dissentiunt. Boerhave (2) et Haller statuunt,

---

(1) Ph. C. Hartmanns Theorie der Krankheit. Wien 1823. p. 305.

(2) Van Swieten l. c.

provocari auriginem, si bilis secreta et sub quovis corporis statu morboso a sueto suo itinere in intestina prohibita, e viis biliferis retropellatur, ita ut eadem via, qua secreta esset, rediret sanguinemque contaminaret. Sic etiam Bang (1) causam icteri quaesivit in obstructione ductuum biliferorum, hepatis et cystidis venis bilem excipientibus. Favet etiam huic opinioni Cullen (2). Marcard (3) actuositate vasorum resorbentium praeter modum intenta, omne fel ex cystide statu integro organismi supervacaneum absorberi, cumque univera humorum copia coire, nobis persuadere studet. Qua cum sententia convenit opinio Sellii (4), qui his ipsis verbis ita dicit: »Der gewöhnlichste Fall ist wohl dieser, dafs die Galle von den einsaugenden Gefäfsen der Blase in das lymphatische System und von da ins Blut gebracht werde.« Sunt etiam qui bilem hepaticam ictero excitando sufficere, negent, ideoque tantum bilem cysticam idoneam illius auctricem habeant. Quos Petrus Frank (5) refutans, ex bilis resorptione, sive sit ex hepate effluere impedita, sive in intestino duodeno propter accumulationem nimiam contenta et coercita, icteri originem ducit.

Albers (6) veram icteri causam insimulat bilem aut ejus pigmentum in hepate resorptum, si, aut hepate destructo aut ductibus biliferis clausis, quominus excerna-

---

(1) De praxi medica. p. 584.
(2) Element. med. pract. vol. IV. p. 516.
(3) Medizinische Versuche. T. 1.
(4) Mediz. Klinik. Berlin. 1789. p. 213.
(5) l. c. p. 338. 8. seq.
(6) Lehrbuch der Semiotik. Leipzig 1834. pag. 212.

tur, cohibetur, ita ut nulla aut aliquantula tautum bilis in intestinum duodenum perveniat. Sanguis materies biliosas seponere impeditus, vel iisque secundum Tiedemann et Gmelin resorptione venarum et vasorum lymphaticorum imbutus, eas aliis in viis excretoriis, ita etiam sub cute deponit, ubi accumulatae aut per cutem excernuntur, aut resorptione, bilis excretione in duodenum reparata, ex corpore amoventur. Sic et Hufeland (1) causam proximam icteri in bile quaerit sanguinem et lympham imbuente, et desiderata in intestinis, cujus rei causam habet bilis jam secretae ex hepate in sanguinem repulsionem, non itaque impeditam secretionem, ut pergit, nam sine secretione nulla inest organismo bilis, sed impeditam excretionem et resorptionem a sanguine eo adductam.

§. 10.

Antiquiores, bilem sine hepate secerni posse contendentes, sanguini bilem inesse crediderunt; quam vero Parmentier, Rose, Dömling et Deyeux (2) in sanguine desiderari demonstrarunt, refutantes eum, qui potissimum illam defendit opinionem, Fourcroy (3). Sed etiamsi bilis sanguini non inest, tamen eodem modo quo ex hepate, ab aliis organis secernentibus bilem parari posse multis cum argumentis demonstrare periclitabantur nonnulli.

§. 11.

Sunt, qui dixerint, secretiones varias quoad earum singularitatem et diversitatem dependere a sanguinis circ-

(1) Enchiridion medicum. Berlin 1838. p. 600.
(2) Mémoir. présent. à l'Instit. I. 136.
(3) Journal de physique T. I. C. I. p. 400.

cuitu in organis mox celeriori mox tardiori, quod vero adhuc firmitate ac stabilitate caret; alii eas quaesiverunt in vario vasorum sanguiferorum statu, angulisque sub quibus ramificantur, sed ubique vasa illa anastomoses retiformes faciunt inter arterias et venas; adhuc alii in finibus arteriarum, qui non existunt; alii demum in diversa glandularum structura et diametro canalium secreta excipientium; diversissimae vero secretiones prodeunt e glandulis pariter comparatis, similesque e diversa modo compositis.

§. 12.

Secretionum natura a singulari tantum specifice vivente organica glandularum substantia dependet, canales secernentes formante, quae similis esse potest in diametro structuraque glandularum diversis, diversa in glandulis aeque constructis (1). Credere itaque coacti sumus, bilem uti omne verum secretum specifica illa hepatis substantia parari e sanguinis elementis constitutivis, quae facili negotio sola imbibitione (vasa exhalantia idcirca tantum a pathologis veteribus sunt excogitata, quod ignoraverunt, telas animales quovis soluto imbui, fluidaque facillime per parietes porosos ad alias partes dare, quod nunc sub voce imbibitionis aut resorptionis anorganicae intelligimus) e vasis capillaribus in particulas substantiae specificae veniunt, chemice hic mutantur et contra superficiem internam canalium secernentium proveniunt. Cur vero fluidum specifice mutatum hanc unam tantum petat directionem, hoc hypothetice modo explicare possumus, credentes, etsi sola imbibi-

(1) Müller, Handb. d. Physiolog. d. Mensch. II. Bd. 447.

tione illa fluida in substantiam specificam veniant, tamen canalium superficies ea elementa, quibus novis fluidis parandis utatur, chemice attrahere eaque parata ad internum parietem deponere, inexplicabili mehercle modo.

§. 13.

Etsi novissimis temporibus Chevreuil et alii arbitrabantur, omnes secretiones sine mutatione chemica fieri, sanguinemque omnia continere secretionum elementa, e quo organis secretoriis unum vel alterum attrahendum sit, quod comprobari videtur secundum Gmelin et eo, quod sanguinis et secretorum sales sunt iidem, et eo, quod in sanguine detectae sunt materies, quae in secretis tantum occurrere credebantur, uti bilis pigmentum a Deyeux, cholesterine a Boudet; tamen nec mucum, nec choleinum nec picromel nec sperma in sanguine quisquam detexit, cui secundo illae materies facillime per imbibitionem admixtae esse potuerunt, dum minime sanguinem constituunt (1).

Quum itaque diversitas secretionum nullo alio nitatur fundamento, nisi eo, quo diversitas formationis et vitae in organis ipsis, cum eo solo discrimine, ut hic sanguis mutatus organo remaneat, illic extra ejus fines qua secretum abeat; probabile esse non potest, bilem cum ejus secretio in hepate prohibita est, per cutem vel alia secretionis organa secerni, quoniam bilem non nisi hepar proferre valeat.

§. 14.

Falsa itaque Halleri doctrina (2), omnes fere secretiones ab omni secretorio organo secerni posse, nul-

---

(1) Müller, l. c,

(2) Elem. Phys. II. 369.

loque nititur facto, nam omnia, quae pro ea allata sunt ab auctoribus argumenta, fiebant aut, ubi secretum jam in sanguine praeformatum fuit, ut hoc Prevost et Dumas de urina demonstrarunt, aut ubi secreti excretio impedimentis fuit sublata. Secretione sublata, cujus secretum non sanguini praeformatum est, nulla vera antagonistica secretio fieri potest, et quod hic de metastasibus dictum, falsum, sic e. gr. in metastasibus lactis, quas nonnulli acceperunt, nunquam saccharum lactis et butyrum, partes lactis constituentes, in secretis sunt inventae.

Ubi vero secretum, quod in sanguine praeformatum non continetur, via metastatica ab alio quam per naturam sibi destinato organo secernitur, semper illius materies, quacunque via est, sanguini sunt admixtae, unde dein eas ubique deponi vel exsudari, bene congruit cum physiologiae doctrinis (1).

§. 15.

Quum itaque declaratum sit materies biliosas in ictero corpus tingentes, impedita bilis secretione, ab aliis organis secernentibus metastatice secerni non posse, jam eo pervenimus, ut intelligamus, eas sanguini esse admixtas indeque exsudatas vel depositas ubique. Quae vero quo modo sanguini admisceantur, auctores inter se dissentiunt.

§. 16.

Fuerunt, qui bilem e ductibus biliferis motu eorum sic dicto antiperistaltico per venas hepatis in venam cavam retropelli putarint (2) ita, ut stagnante in primis

(1) Müller, l. c.
(2) Conf. §. 9.

vasis biliferis bile, in ultimis venae portarum et arteriae hepaticae ramulis particulae biliosae retineantur, et inde simul cum sanguine venae portarum, venarum hepaticarum et venae cavae communicatae, omnem denique sanguinem inundent: nimirum, quod in cadavere dissecto liquor in ductum hepaticum per vim impulsus in venam cavam trajici pateretur. Sed jam antiquiorum nonnulli suspicati sunt, id vix in corpore vivo sponte contingere posse, quod in cadavere magno syringis impetu efficiatur, conjicientes, liquorem injectum per vasa vi disrupta viam sibi muniisse. Quod demum ope novissimorum anatomiae et physiologiae incrementorum refutare possumus. Constat enim, omnibus in glandulis, itaque etiam in hepate, vasa sanguifera non in partes glandularum elementarias transire, neque liberis apertisque cum finibus in initia canalium secernentium cavitatumque hiare, sed tenuissima vasa ad parietes illorum canalium eandem habere rationem, quam ad quamcunque membranam aliam secernentem, uti membranam mucosam cellularum pulmonum, arteriasque itaque in illis innumerabilibus anastomosibus retiformibus in venas transire (1). Nequit igitur bilis e ductibus biliferis retroagi ad sanguinem.

§. 17.

Censent alii bilem per cystidis felleae poros inorganicos transsudare, indeque resorberi, quod etsi nonnunquam fiat, nunquam tamen hactenus, ut inde icterus oriatur (2).

---

(1) Müller, l. c. p. 440.
(2) Richters Therapie B. 4.

Dicunt dein, bilem per vasa hepatis lymphatica in sanguinem mitti, quod Monro jam experimento confirmavit. Dissecto enim animali vivo, ductum choledochum ligatura clausit, posthac vulnus consuendum curavit: haud multo post factum est, ut animal afficeretur ictero; aperto dein vulnere vasa lymphatica turgida, dissectaque bilem, flavedine et amaro sapore conspicuam, continentia vidit. Sic et Assalini, Saunders, Mascagni et Soemmering bilem in vasis lymphaticis ab hepate originem ducentibus, clausis ductibus biliferis (1), invenerunt: Tiedemann et Gmelin (2), ligato ductu choledocho in canibus, vasa hepatis lymphatica laete flava inveniebant, glandulas lymphaticas flavescentes bilisque elementa in ipso ductu thoracico.

Ex hisce satis elucet, bilem jam secretam resorptione per vasa lymphatica hepatis sanguini adduci; sed nil interest, cur non et vasa lymphatica intestini bilem, si nimis large excernatur, resorbeant (3), aut venae eam imbibitione suscipiant; quibus assumtis facile vomitum biliosum easdemque alvinas excretiones in ictero, nonnunquam occurrentes, explicare possumus. Huc pertinet, quod mesenterium flavum vidit Lieberkühn, vasaque lactea bile plena detexit Galeazius (4).

§. 18.

Quod porro illos attinet, qui bilem cysticam tantum ictero provocando idoneam esse, volunt (5), hi fa-

(1) Weber, Anatomie. III. p. 123.
(2) Die Verdauung nach Versuchen. p. 40.
(3) Petrus Frank, l. c.
(4) Chr. Car. Gilly, Diss. cont. Sciagraph. icter. Hal. 1760.
(5) Conf. §. 9.

cile refutantur experimento instituto, ubi ductu cystico ligato in canibus nullus conspiciebatur icterus, statim vero ligato ductu hepatico et choledocho; uti exemplo a Richter (1) narrato, ubi in mulieris ictero atrocissimo in nosocomio Gottingensi interemtae cadavere cystis fellea omnino desiderabatur.

Venimus denique eo, ut clarum nobis sit, unicam icteri causam proximam bilem esse in hepate jam secretam, resorptione sanguini immixtam indeque per exsudationem vulgarem in variis viis depositam. Quo modo bilis in sanguinem resorptione veniens commutata sit, hypotheticum adhuc et verisimile, quasdam tantum bilis materies elementarias resorberi, uti potissimum ejus pigmentum. Bilis vero resorberi cogitur aut in hepate ipso, impedita ejus excretione, aut in intestino, nimis large ibi effusa.

§. 19.

Causae aut illam bilis excretionem impeditam, aut nimis largam ejus in intestinum effusionem, efficientes sunt:

I. Inflammatio aut hepatis aut partium adjacentium potissimum intestini duodeni. Quo modo hepatitide icterus adducatur, auctores alii alias protulere sententias. Van Swieten (2) et Lembke (3) putarunt, hepatis inflammati mole ejusque pressu in ductus biliarios excretionem impediri; idem Hufeland (4) fieri dixit, inflammatis punctis biliariis. Sed hic alii objiciunt, in

(1) Medizinische und chirurgische Bemerkung. Vol. I. p. 54.
(2) l. c. §. 918. Vol. 3. p. 96.
(3) Diss. cont. Analecta ad Icteri aetiologiam. Gotting. 1795.
(4) l. c. p. 600. sq.

hepate inflammato omnem sistere secretionem, indeque et resorptionem fieri non posse (1). Nonne vero initio inflammationis bilis hepatis irritatione largius secreta, jam hic aut si nil ejus effusione in intestinum duodenum obstet, illic resorberi potest? indeque icterum efficere? Quod et physiologiae placitis non repugnare videtur, quae docent, omnem secretionem perinde minui, atque irritatio in veram transeat inflammationem; eoque demum comprobatur, quod icterus semper ineunte inflammatione magis perspicuus, quam posthac. Quod dein icteri originem ex inflammatione duodeni attinet, Broussais (2), qui primum hanc icteri formam descripsit, dicit, sympathiam quandam esse inter glandulas secernentes et membranas mucosas, in quas ductus illarum excretorii hiant, demonstrans glandulas secernentes tum ad secretionem auctam cogi, cum membrana illa, quae ductum excretorium excipit, irritetur. Affert hic glandulas salivales, quae, aut cibo aut aliis rebus irritata membrana oris mucosa, salivam largiorem secernunt, glandulas lacrymales, quae lacrymas copiosas edunt, irritata membrana mucosa nasi aut conjunctiva palpebrarum, et simili modo hepatem, irritato duodeno, bilem majori cum vehementia secernere, contendit, quae dein sine ullo impedimento in tractum intestinalem effundatur. Quam inde resorptam icterum efficere, probabile est.

Eademque ratione icterum ex febri flava originem ducere, constat, sectaque hoc morbo defunctorum hominum cadavera semper fere inflammationem duodeni ventriculique, rarissime tantum hepatis morbos ostenderunt,

(1) Haase, l. c. p. 199.
(2) Stockes, l. c. p. 51.

quod narrant **Rush** et **Laurence**, optimi Americae de febri flava scriptores (1).

Simili modo et in febri gastrica et biliosa icterum oriri, existimare licet.

§. 20.

II. Spasmi organorum chylopoëticorum, qui contractionem ductus choledochi efficiunt et ita bilis excretionem impediunt, aut animi excandescentiae, ubi aucta nervorum actuositate secretum largius in intestinum duodenum effunditur. Qui icterus ex potentiis maxime dynamicis oritur, post iracundiam, terrorem, moerorem vel aliam quamcunque animi commotionem, ille in spasmis hypochondricis, hystericis, ex cranio (2) vel aliis sensibilioribus partibus praecipue regione epigastrica laesis, ex morsu venenato (3) etc.

III. Mechanica ductuum biliferorum obstructio, maxime hepatis vel adjacentium organorum vitiis adducta. Nominemus hic hepatis hypertrophiam, cirrhosin, scirrhum, malaciam, phthisin, tubercula, hydatides (4), physconiam, fungum, calculos felleos, cibos indigestos hiatum ductus choledochi claudentes, meconium, uterum gravidum comprimentem ductus biliferos, uti morbos varios et desorganisationes pancreatis, omenti etc.

§. 21.

Aetas, corporis conditio et animi victusque ratio etsi nulla sit, quae icterum inducere non valeat, tamen

(1) **Stockes**, l. c. p. 52.

(2) **Brüning**, l. c. p. 173.

(3) **Baglivi**, **Schulze**, **Rhodig**, **Galen**, **Allen**, **Schurig**, **Donal**, etc. apud **Georg. Behm** in diss. cont. Analecta de ictero. Halae.

(4) **Brüning**, l. c. I. 26.

experientia unum magis inclinari ad icterum quam alterum docet. Causas itaque praedisponentes et hic invenire nobis continget. Pertinent hic aestus magnus, aër humidus, hepar nimis irritabile, cutis tenerrima, constitutio sic dicta biliosa, digestio laesa, status hypochondricus et hystericus, temperamentum cholericum, infarcta abdominalia et stagnationes, vita sedentaria, abusus spirituosorum, morbi organici hepatis, graviditas, aetas tenerrima infantilis.

DIVISIO.

§. 22.

Dividitur icterus jam ab Hippocrate in febrilem, apyreticum et criticum (1), quem posteriorem multi negant (2), in simplicem et complicatum — in symptomaticum et idiopathicum (3), quem ex hepatis morbis pendentem dicunt, sed et hic pro symptomate ipsius morbi hepatici habendus — in sporadicum, endemicum et epidemicum (4), quae species ultimae in regionibus calidioribus Americae potissimum, sed etiam apud nos occurrunt — in innatum (5), hereditarium et acquisitum, secundum a constitutione biliaria hereditaria originem duci asserit Haase (6) — in icterum periodicum, qui atypicus in ictero calculoso, magis typicus in suppressa menstrua vel haemorrhoides sequenti — in universalem,

(1) Aphor. IV. 64.
(2) Petrus Frank, l. c.
(3) Haase, l. c. III. I. 194.
(4) Fritze, Med. Anal. B. I. 193. — Hufel. Journ. Bd. VII. St. 8. — Brüning, l. c. — Pet. Frank, l. c. 818.
(5) Kerkring, Wrisberg ap. Brüning, l. c. p. 228.
(6) l. c.

ubi tota cutis flavet, partialem (1), ubi singulis tantum corporis partibus adhaeret, dimidiatum, in quo saepe unum tantum corporis latus ita flavet, ut color in dorso nasi dividatur (2), in flavum, viridem et nigrum, qui et Melanchlorus et Melasicterus nominatur — in traumaticum, ex morsu venenato, ex arthritide, rheumatismo, ex calculis felleis, graviditate, vermibus etc.

§. 23.

Quas omnes species ad pauciores redigere, varii scriptores conati sunt.

Van Hoven (3) distinxit icterum spasticum, hepaticum et calculosum, quem secutus est Haase (4) — Cullen (5) febrilem, plethoricum, emphracticum, spasmodicum, venenatum et calculosum. Stollii (6) divisio maxime therapiam spectat, accipit ille: Icterum frigidum, orientem ex impedita bilis in duodenum effusione — inflammatorium ab hepatis vel organorum vicinorum inflammatione — plethoricum e congestionibus — periodicum e calculis felleis — spasmodicum in hysteria, hypochondriasi, post animi agitationes, morsus venenatos — neonatorum et febrium gastricarum a resorptione bilis primis in viis.

Petrus Frank (7) statuit icterum calculosum, spa-

(1) Paullinus, Obs. Med. Physic. Ant. II. Obs. 36.

(2) Behrens, Eph. Nat. cur. Cent. 3. 4. obs. 65. — Lanzonius, Eph. Nat. cur. cent. V. obs. 41. narrat de spiritu amante cujus caput usque ad collum flavum, inde cutis usque ad pedes in latere dextro nigra, in sinistra flava conspiciebantur.

(3) Handbuch der prakt. Heilk. Heilbronn 1805. 2ter Bd.

(4) l. c. 195.

(5) l. c.

(6) l. c.

(7) l. c.

smodicum, hepaticum, infantilem, plethoricum et febrilem; Berends eum secundum caussas remotas dividit: in icterum ab inflationibus, obstructionibus in hepate, bili nimis spissa, calculosum, ab irritationibus duodeni, a venenis animalibus, ab erethismo, ab animi pathemate, a capitis laesionibus. Schoenlein (1) secundum aetatem distinguit icterum neonatorum benignum et malignum, florentis aetatis febrilem et chronicum, tum senilem.

In hoc opusculo, cum icterum semper morborum symptoma dixerimus, simul aetiologiam respicientes, eum secundum morbos, qui eum comitem habent, dividere volumus. Accipimus itaque

I. Icterum febrilem, occurentem in febribus et inflammationibus, uti hepatitide, duodenitide, febri gastrica biliosa et flava.

II. Icterum spasticum, qui cum spasmis organorum chylopoeticorum vel aliis nervorum adfectionibus occurrit, uti post animi pathemata, in hypochondriasi, hysteria, cardialgia, colica.

III. Icterum chronicum, qui chronicis cum morbis apparet, praecipue hepatis destructionibus et vicinorum organorum, quique maxime mechanica obstructione ductuum biliferorum oritur. Pertinent huc icterus hepaticus, calculosus, gravidarum, neonatorum et senilis variorum scriptorum.

DIAGNOSIS.

§. 24.

Icterus per se facillime dignoscitur cum oculorum

(1) l. c.

tum cutis secretorumque praecipue urinae, lintea immersa tingente, flavedine; si vero ad aetiologiam respicias, saepe difficillimam invenies diagnosin.

Icterus febrilis cum febri junctus est, diagnosis vero specialis nulla alia nisi morbi primarii ipsa est, uti etiam in aliis formis supra allatis.

Quod itaque ad icterum in hepatitide attinet, qui magis in phlegmonode occurrit, videbis icterum flavum, dolorem obtusum, adstringentem, prementem, ardentem in hepatis regione, quae tumida, plena, tensa tangitur, febrem synochalem cum typo remittente, pulsum mollem, frequentem, aestum magnum ardentem, sitim ingentem. Si chronica facta est hepatitis, pulsus fit intermittens (1), facies leucophlegmatica, sub vesperem febricula supervenit, et sensim sensimque symptomata hectica perspicua existunt; hepar perspicue per tegumenta abdominalia tangendum, praecipue margo ejus acidus, percussione sonus auditur obtusus (2).

Icterus his in morbis, ut jam dictum, levis, conjuntiva flavescens, nasi alae e flavo virides, genae flavae cum rubedine laeta, lingua biliose obtecta, gustus depravatus, nausea, vomitus biliosus, faeces griseae, urina crocea (3).

§. 25.

Icterus si ex febri gastrica biliosa (4) originem du-

---

(1) Pemberton, Practische Abhandlung über verschiedene Krankheiten der Unterleibsorgane. Aus dem Engl. v. Bresler. 1838. I. 25.

(2) Stockes l. c.

(3) Marcus Mag. I. 279.

(4) Petrus Frank l. c. B. 1.

cit, eadem fere symptomata offert, quam in hepatitide, sed morbi primarii diagnosis alia. Varios prodromos laesam digestionem spectantes excipit febris remittens cum pulsu saepe intermittente, semper justo frequentiori, non tam duro et pleno, quam ut pro inflammatorio, nec tam debili et parvo, quam ut pro hectico habeatur. Queruntur aegroti de calore, siti permagna, cephalalgia, vomituritionibus, sensuque premente in ventriculi regione; facies rubet, circa nasum viridescit, oculi flavescunt, sunt splendentes, labium inferius tremulans, respiratio frequens, difficilis, saepe accedunt deliria, sopor. Ad noctem exacerbatio intrat, circiter mane remissio, sed mox haec recedit, dolores augentur, uti anxietas, calor, sitis, deliria perpetua fiunt, pharynx siccus, lingua muco tenaci tecta, brunnea, dura, lacerata, pulsus durus frequens, urina parca, foetens, opaca, alvus viridescens, aeruginosa, inscie deposita, cutis arida, sudore gelatinoso aut exanthematibus tecta. Si nunc morbus non remittat et ad sanationem vergat, existunt symptomata nervosa et vulgo mors.

§. 26.

Si duodenitis icteri fons est, symptomata saepe tam lenia evadunt, ut minime aegrotum turbent, saepe vero morbus jam initio tanta cum vehementia intrat, ut mortem certo praesagire liceat. Maxime post indigestionem vel ventriculi refrigerationem apparent symptomata gastrica febri stipata, post biduum vel triduum icterus. Nunc febris vulgo desinit, quo morbus ab hepatitide distingui potest; sin manet, quod symptoma maxime est periculosum, dolor in hepatis regione nec tensa, nec tumida minus vehemens, et desideratus in percussione sonus

obtusus diagnosin certam reddant. Febri perseverante aut pulsu tardo evadente augentur morbi symptomata, intrant subsultus tendinum, deliria, coma et mors. (1).

In febri flava icterus sat vehemens apparet, cutis accipit colorem citreum, saepius subnigrum. Signa huic febri propria sunt: febris repente invadens vehementissima inflammatoria; icterus, vomitus atrabilaris; status nervosus et putridus, haemorrhagiae, ecchymoses etc. Morbus brevi est decursu et summum periculum minatur.

§. 27.

Icterus, quem supra spasticum nominavimus, facile est dignoscendus. Caret enim omnibus prodromis, subito invadit, colorque ab initio e flavo candicans, serius fuscus, nunquam orichalci similis fit; dolores in epigastrio adsunt insignes, pressu mitiores, ceterum varia, uti morbus primarius hoc secum fert, symptomata hysterica spastica, dolores colici, urina pallida, serius demum crocea. Accedunt sapor vapidus, lingua obtecta, vomituritiones, vomitus biliosus, alvus tarda.

§. 28.

Quem vero chronicum nominavimus icterum, is varias morbi imagines induit, qui ex hepatis obstructionibus et destructionibus oritur, sensim sensimque apparet, praegressis variis prodromis, maxime laesam digestionem spectantibus, diu perseverat, libenterque fit icterus viridis vel niger.

Singulos hepatis morbos icterum adducentes propius hic consideremus, cum eorum diagnosis saepe difficillima sit.

(1) Stockes l. c. p. 90.

Phthisin hepaticam auriginis causam esse, videmus partim ex anamnesi, nam non nisi hepatitide praecedente apparet, partim ex ejus signis ipsis. Hepar nimirum est tumidum, supra marginem costarum sentiendum, molle; si percutiendo in uno loco magis obtusus auditur sonus, quam in parenchymate circumjacente, ibi abscessum esse, coucludere potes, quo aperto vel interne vel externe pus effluit, pigmento bilis tinctum; febris hectica adest.

Icterum e tuberculis enatum esse, indicat hepar tensum, amplificatum et nodosum sentiendum, dolores periodici prementes et pungentes in hypochondrio dextro, dyspepsia, vomitus biliosus, alvus tarda.

Hepatis malaciam suspicari licet, si icterus non tam intensus junctus sit cum hypochondrii dextri tumore periodice aucto et minuto, dolente sub pressu, molli (1). In cirrhosi hepatis id sentitur amplificatum, durum; in scirrho minutum; melanosin nisi excrementis nigris cognoscas; fungus, tumores glandularum in capsula Glissonii, aneurysma arteriae hepaticae, desorganisationes partium adjacentium non facile dignoscuntur.

§. 29.

Restat, ut dicamus aliquid de ictero ex calculis felleis. Ejusmodi icterus periodice sed atypice intrat, color ictericus rarissime tam intensus apparet, ut in desorganisationibus hepatis, optimum vero diagnosis momentum sunt calculi fellei aut vomitu aut alvinis excretionibus ejecti.

Initio morbi symptomata sat levia; brevi post cibos

(1) Schönlein l. c. III. p. 87. 120. I. 251.

assumtos queritur aegrotus de tensione molesta, doloreque obtuso hypochondrii dextri cum magna anxietate, mox plane sanum sese sentit et tantum albugineam oculi flavescentem praebet urinamque saturatam postridie. Subinde malum redit et iterum evanescit, donec tandem vehementius fit et manifestissima aurigine terminatur: dolores existunt majores, vehementissimi ex hepate ad processum ensiformem maxime portendentes, accedunt nausea, vomitus, contractio abdominis musculorum, extremitates frigidae, cutis sudore tecta, pulsus durus contractus, raro justo frequentior. Sunt itaque dolores majores pro pulsu indicante, repente orti, non hepatitidem sed calculos felleos dignosces.

Si morbus in longum protrahatur, melasicterus fit, digestio in dies magis laesa apparet, fel omnino in alvi excretionibus desideratur, aeger febricitare incipit mane et vespere, tabescit et imaginem fere phthiseos hepaticae ostendit, nisi totus morbi decursus, febris serius invadens, penuriaque excretionum cum pure mixtorum hanc diagnosin vetent.

Quod ad neonatorum dein icterum, oritur vulgo inter III. et V. diem post partum; infantis cutis subito flavo colore leviter suffunditur, alvus est adstricta; organismus totus raro particeps fit affectionis localis.

PROGNOSIS.

§. 30.

Uti diagnoseos sic etiam prognoseos summum repetitur momentum a morbis primariis, icteri fontibus, qui quo facilius submoveri possunt aut quo difficilius, quo florentior aut provectior aetas, quo brevior aut lon-

gior morbi decursus, quo magis aut minus intensa cutis flavedo, qua ratione febris simul adest aut nulla acuta aut lenta, eo melior aut pejor eventus augurandus est.

Icterus in hepatitide, febri biliosa et flava eandem quam morbus primarius sistit prognosin; in duodenitide etsi saepissime optima, mala fit, si calor cutis mox flavus mox opacus redditur, pulsus tardus, deliria, coma accedunt, quam ultimam Stockes (1) habet signum lethale.

Phthisis hepatica dubiam admittit prognosin, ad bonam vergentem, si abscessus externe sese aperiant, malam si in ventriculum vel colon, pessimam si in cavum abdominis (2). In hepatis malacia, tuberculis, hydatidibus, scirrho, melanosi, fungo exitus lethalis vel ascite, vel febri hectica portenditur; in calculis felleis prognosis dubia (3), bona in ictero gravidarum, neonatorum, spastico.

Lipothymia, dolor premens in capite aut debilitatem maximam aut morbum encephali indicant, color viridis, ater colliquationem incipientem.

CURA.

§. 31.

Quoniam icterum tam diversum conspeximus, facile est intellectu et ejus curam diversam fore pro quovis morbo primario, cujus est comes. Si aufertur morbus, qui aut excretionem bilis impediendo, aut eam nimis largam reddendo icterum provocat, bilis excretio norma-

(1) l. c. p. 94.
(2) Schönlein l. c. III. 122.
(3) Pet. Frank l. c. 343.

lis iterum fiat, necesse, nulla dein bilis resorptione sanguini admiscebitur, jamque admixta facili negotio per cutem et urinam excernetur: indicatio morbi itaque, si vis bilis excretionem impeditam liberam reddere, aut prohibere, quominus nimis large in duodenum effundatur, incidet in indicationem causalem, auferendi morbos, qui unam vel alteram icteri causam efficiunt.

Dicamus itaque paucis verbis, restat, quaenam curatio morbis variis icterum secum ducentibus sit accommodanda.

Icterus in hepatitide ita curetur, ut hepatitis ipsa, antiphlogosi: venaesectionibus modicis, hirudinibus ad locum dolentem et inunctionibus unguenti neapolitani cum ungt. althaeae et oleo hyoscyami cocto (1). Si diarrhoea et vomitus adsunt, laudantur emulsiones cum aqua laurocerasi vel potio Riveri cum syr. diacodii vel extr. opii; si alvus tarda, calomel, grana tria aut quatuor pro dosi omni hora vel bihorio sumenda ita, ut alvinae excretiones reddantur virides, corrodentes, specifici odoris, quae dein sustineantur salibus neutris, oleo Ricini, cremore tartari, decocto tamarindorum, magnesia sulphurica, tartaro natronato quater vel quinquies de die, donec color et odor earum specificus evanescit, ubi removeantur oleosis et mucilaginosis. Diaeta sit tenuis, vegetabilis. Crises per cutem adjuventur pulvere Doweri et liq. ammonii acetici, in stadio reconvalescentiae alvus bis terve de die deponatur. — Si redditur hepatitis chronica, repetantur applicatio hirudinum, inunctiones ungt. neapolitani, fomentationes cum herbis emollientibus et narcoticis; interne detur calomel ea in

(1) Schönlein l. c. I. 240.

dosi, ut quotidie semel vel bis alvus deponatur, diaeta sit tenuis; aër siccus, montanus et thermae Carolinae, Marianae Kissingianaeque maxime etiam laudantur.

In febri biliosa quoad affectionem topicam dentur emetica, quam diu aeger queritur de sensu premente et oppletionis in regione ventriculi, de vomituritionibus ciborumque inappetentia; febris quoad caracterem curetur.

Icterus in duodenitide saepe evanescit victu tenui, pluribusque alvi excretionibus per diem paratis. Si febris vehemens fit, praecipue si coma imminuit, totus apparatus antiphlogisticus adhibeatur. Interne nonnulli calomel commendant, Stockes (1) tartarum depuratum parva in dosi.

Apparet dein icterus cum febri flava, instituantur in stadio inflammatorio venaesectiones largae, saepius repetitae (2); in stadio nervoso febris aptis cum remediis tractetur, in haemorrhagiis china et chininum sulphuricum laudantur.

Qui demum in spasmis organorum chylopoeticorum occurrit icterus, ei optime succurrendum est antispasmodicis. Huc pertinent infusum chamomillae, valerianae et melissae cum liq. ammonii acetici, pulv. vel extr. cicutae, belladonnae, in hystericis et hypochondricis, qui volatilibus jam assueti sunt medicaminibus, aether sulphuricus, liqu. ammonii succin., oleum animale aethereum, externe: cataplasmata calida aromatica hepatis regioni admota, inunctiones ope ungt. nervini, linimenti volatilis, olei hyoscyami cocti, balnea tepida, clysmata

---

(1) L. c. p. 95.

(2) Baumgärtner, Handbuch der speziellen Krankheits- und Heilungslehre, Stuttgart und Leipzig 1837. I. p. 178.

ex Inf. florum Chamomillae, herb. nicotianae, rad. valerianae cum oleo Hyoscyami cocto, tinctura opii, Castorei vel Asae foetidae.

Quod autem icterum attinet e stagnationibus in abdomine, obstructionibus et inflationibus locum aptum sibi vindicarunt resolventia. Laudata hic succi herbarum recenter expressi, extracta taraxaci, cichorei, graminis, saponariae, chelidonii etc.; acidum tartaricum, tartarus depuratus et boroxatus cum extr. amaris, pulpa tamarindorum; serum lactis tartarisatum et tamarindinatum, lac ebutyratum; calomel, sulphur stibiatum aurantiacum, aquae salinae Carolinae, Egeranae, Pyrmontanae; quae omnia si effectum non habent, tentanda gummi ammoniacum, helleborus, gratiola, belladonna, aloe, colocynthides etc.

In malacia hepatis, quam ad perfectam sanationem nunquam adduces, commendata: lapides cancrorum, digitalis, pediluvia derivantia, hirudines ad anum, scrobiculum cordis etc., quae omnia pro momentis tantum auxilium ferunt.

In phthisi hepatica continuetur adhuc antiphlogosis, quia semper fere adhuc status inflammatorius subest (1), indicata: inunctiones mercuriales, cataplasmata emollientia, salia neutra cum extr. saponaceis, diaeta tenuis vegetabilis. Si abscessus externe aperiendus, aperiatur cultro, fiant injectiones ex ext. myrrhae; si vero in organa se aperit interne sita, tuenda sunt, ne nimis irritentur pure. Simul aeger accipiat tonica, chinam, alcornoco etc.

In tuberculis hepatis cura hucusque commendata parum proficit, jodi et hydrargyri inunctiones plus damni afferunt quam utilitatis; plus praestare videtur acidum nitricum sub forma ung. oxygenati et pediluvia ex aqua regia. (2) Victus sit nutriens, digestio adjuvetur felle tauri cum rheo.

In melanosi, fungo, hydatidibus ceterisque et hepatis et partium adjacentium vitiis organicis tentanda, etsi frustra, methodus resolvens; si febris hectica intrat, roborans, nutriens.

Icterus ex calculis felleis raro etiam plane tollitur. Medici hic est calculos solvere et ne novi formentur, impedire. Commendata sunt ad calculos solvendos extracta saponacea, remedia alkalina, fontes medicati prae-

(1) Schönlein l. c.
(2) Schönlein l. c.

sertim Carolinenses, remedium **Durandi** (1), constans ex tribus aetheris sulphurici ac duabus olei terebinthinae partibus, porrigendum praemissis aliquot per dies emollientibus ac solventibus duos ad scrupulos horis matutinis cum sero lactis aut solvente quodam decocto. Quibus adhibitis excretio calculorum si acquiritur, adjuvetur laxantibus. Ne novi formentur calculi, praecaveantur stagnationes abdominales, roborentur digestionis organa, adhibeantur itaque solventia cum amaris.

In neonatorum denique ictero sufficiunt leviter laxantia, quae meconium abducant. Laudantur syrupus mannatus cum tinctura rhei aquosa; si dolores colici superveniunt, clysmata ex infuso florum chamomillae.

(1) Durande mém. de l'académ. roy. de méd. T. I. p. 288.

VITA.

Natus sum **Evaldus Nicolaus Gustavus Schoen**, confessioni catholicae addictus, Lublinitzii, Silesiae superioris oppido, d. III. mensis Septembris a. MDCCCXVII. patre **Joanne**, matre **Florentina**, e gente **Vogt**, quos parentes morte praematura mihi ereptos valde lugeo. — Primis literarum elementis in urbe patria imbutus, gymnasium Glivicense, quod sub auspiciis Cel. Prof. Dr. **Kabath** floret, adii, ibique per annos septem studiis humanioribus incubui. Cum testimonio maturitatis dimissus autumno anni MDCCCXXXV. universitatem Vratislaviensem petii, ubi ab Ill. **Ritter** t. t. rectore inter cives academicos receptus, ab Ill. **Henschel** t. t. decano ordini medicinae studiosorum adscriptus, per semestria septem hisce interfui praelectionibus academicis:

Ill. **Barkow**: de osteologia et syndesmologia; Ill. **Benedict**: de chirurgia generali et speciali nec non akiurgia, de ophthalmiatrice, de methodo fascias rite applicandi et de instrumentis chirurgicis, Ill. **Betschler**: de arte obstetricia et de operationibus obstetriciis, Cel. **Burchard**: de operationibus obstetriciis in phantomate, Ill. **Elvenich**: de psychologia, oratione pro Archia, Ill. **Fischer**: de chemia experimentali, analysi aquarum medicatarum, reagentibus chemicis, chemia pharmaceutica, Ill. **Glocker**: de mineralogia. Ill. **Goeppert**

botanicis excursionibus interfui. Ill. Gravenhorst: de zoologia, de zoologia medica. Ill. Henschel: de encyclopaedia et methodologia studii medici, de historia medicinae, de medicorum biographiis. Ill. Nees ab Esenbeck: de botanice. Ill. Otto: de anatomia hominis universa, comparativa et pathologica, de historia foetus et sectionibus forensibus. Idem vir Ill. cadavera rite secandi artem bis me docuit. Ill. Pohl: de physice. Ill. Purkinje: de physiologia hominis speciali, de psychologia empirica, de pathologia generali et de pathologia morborum mentis. Ill. Remer sen. de therapia generali, febrium, apyrexiarum dynamicarum, de arte formulas medicas concinnandi, de medicina forensi. Cel. Remer jun.: de morbis syphiliticis, Ill. Schoen: de historia congressus Viennensis, Ill. Thilo: de logice. Ill. Wendt: de materia medica, morbis infantum et fontibus soteriis Germaniae. Clinicis scholis interfui chirurgicis, ophthalmiatricis, medicis et obstetriciis Ill. Benedict, Remer sen. et Betschler.

Tempore vernali hujus anni hanc almam litterarum sedem petii, et ab Ill. Mueller t. t. Rectore magnifico cives academicus, ab Ill. Schultz t. t. decano maxime spectabili medicinae studiosus rite constitutus sum.

Per semestre aestivum interfui scholis clinicis et medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis Cel. Wolff jun. et Ill. de Graefe.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, celeberrimis, summopere venerandis, cum nunc tentaminibus tam philosophico quam medicis nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis in eo sim, ut summos medicinae et chirurgiae honores adipiscar, quam maximas palam gratias ago.

THESES.

1. Icterus non morbus per se, sed morborum maxime diversorum symptoma est.
2. Causa proxima icteri semper est bilis jam secreta et resorptione sanguini immixta.
3. Metastasis humorum secretorum nulla.
4. Gerontoxon non est contraindicatio extractionis cataractae.
5. Synchondrotomia prorsus evitanda.